

nota

aliquod foramen aurium habent. set ubi aures esse debent est unum paruum cornu & parue bestie sunt & pulcre Item narabimus uobis unum quod mirabile apparebit. videlicet quod eorum bestie scilicet boues/ arietes/ gameli & runcini comedunt pisces & isti sunt eorum cibi. quia in eorum patria non est erba. set est magis| arridus locus qui reperiatur in mundo. & pisces quos bestie comedunt 105r° sunt parui & capiuntur in mense marcij aprilis & madij in tanta quantitate quod mirabile est. quos desiccant & in domibus reponunt. postmodum per totum annum dant ad comedendum bestijs suis. bestie etiam comedunt ipsos uiuos sicut de aqua trahuntur habent insuper magnos pisces & bonos in magna quantitate & pro bono foro. faciunt preterea biscoctum de biscibus. nam ipsos minutim trucidant. ita quod frustrum potest esse per una[m] libram & faciunt desiccari ad solem postmodum recondunt in domibus. & per totum anm tanquam biscoctum comedunt. Thus uero de quo diximus quod est ibi in tam magno foro dominus emit pro decem bisantijs cantarre. & postmodum uendit alijs gentibus & mercatoribus cantarre qui illuc ueniunt pro quadraginta bisantijs cantarre. & hoc facit & recoligit iste dominus Scier pro soldano prouincie aden. Nam soldanus Aden per totum districtum suum facit thus emi precio x librarum pro se. & postmodum uendi pro xl ut est dictum. vnde sequitur maximum profectum & lucrum. Alia non sunt in ciuitate ista dicenda. Et ideo ulterius procedentes de quadam alia ciuitate narabimus nomine duffar/ de ciuitate duffar

gentes istius ciuitatis
legem macometi obseruant

Duffar est quedam ciuitas nobilis & magna| que distat a ciuitate sciet circa 105v° ducenta miliaria uersus magistrum. Ipsius gentes machometi legem obseruant. Et pro domino quemdam habent comitem & sunt sub dominio soldani Aden. Jsta ciuitas sita est in prouincia aden. & est sita supra mare. & habet bonum portum quo multe naues cum multis mercatoribus ueniunt cum magna quantitate mercimoniorum. Et illuc portant multos bonos equos arabes & de alia contrata de quibus mercatores magnum consequuntur profectum & lucrum. Jsta ciuitas habet sub suo dominio multas ciuitates & castra. & nascitur ibi thus multum & bonum. & dicemus qualiter. sunt enim arbores ibi non nimis magne set sunt tamquam çapini. faciunt eis taccas cum cultellis in pluribus locis & partibus. & per illas taccas thus exit. & etiam exit per eandem arborem etiam sine tacchis. & hoc propter intensum calorem contingit qui ibi est. In istam quidem ciuitatem multi equi ueniunt quos postmodum mercatores cum suis nauibus ueniunt in Jndyam & de ipsis faciunt magnum profectum & lucrum. alia. ibi non sunt dicenda. quare ulterius procedentes tractabimus de gulfo calatu/ de ciuitate calatu/

Macometi legem obseruant

Calatu est quedam magna ciuitas que est in gulfo qui etiam appellatur calatu. & distat a duffar circa sexcenta miliaria uersus magistrum. Jpsa| est 106r° nobilis ciuitas sita supra mare ipsius gentes machometi legem obseruant.

civ